



UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE

PRELIMINARY EXAMINATION FOR PART IA OF THE  
CLASSICAL TRIPOS

---

Tuesday 26 April 2005      9 to 12

---

Paper 1

LATIN TRANSLATION

*Candidates must answer all questions in Section A.*

*Candidates must answer one question from Section B.*

**All questions carry equal weight.**

*Answers from each Section must be written in a separate booklet.*

*Write your number (not your name) on the cover of each Section booklet.*

*Candidates who do not write legibly may find themselves at a grave disadvantage.*

STATIONERY REQUIREMENTS

20 Page Answer Book x2

Rough Work Pad

You may not start to read the questions  
printed on the subsequent pages of this  
question paper until instructed that you  
may do so by the Invigilator

## SECTION A

**A1** *Translate:*

si nihil aliud nisi de ciuitate ac lege dicimus, nihil dico amplius: causa dicta est, quid enim horum infirmari, Grati, potest? Heracliae esse tum ascriptum negabis? adest uir summa auctoritate et religione et fide. M. Lucullus, qui se non opinari sed scire, non audisse sed uidisse, non interfuisse sed egisse dicit, adsunt Heraclienses legati, nobilissimi homines: huius iudicij causa cum mandatis et cum publico testimonio uenerunt: qui hunc ascriptum Heracliensem dicunt, hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas: quas Italico bello incenso tabulario interisse scimus omnis, est ridiculum ad ea quae habemus nihil dicere, quaerere quae habere non possumus; et de hominum memoria tacere, litterarum memoriam flagitare; et, cum habeas amplissimi uiri religionem, integerrimi municipi ius iurandum fidemque, ea quae deprauari nullo modo possunt repudiare, tabulas, quas idem dicas solere corrumpi, desiderare.

CICERO *Pro Archia Poeta* 8**A2** *Translate:*

itaque, credo, si ciuis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore ciuitate donaretur perficere non potuit. Sulla cum Hispanos donaret et Gallos, credo hunc petentem repudiasset: quem nos in contione uidimus, cum ei libellum malus poeta de populo subiecisset, quod epigramma in eum fecisset, tantummodo alternis uersibus longiusculis, statim ex eis rebus quas tunc uendebat iubere ei praemium tribui – sed ea condicione, ne quid postea scriberet. qui sedulitatem mali poetae duxerit aliquo tamen praemio dignam, huius ingenium et uirtutem in scribendo et copiam non expetisset? quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui ciuitate multos donavit, neque per se neque per Luculos impetrauisset? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen auris suas dederet. neque enim est hoc dissimulandum quod obscurari non potest, sed prae nobis ferendum: trahimur omnes studio laudis, et optimus quisque maxime gloria ducitur.

CICERO *Pro Archia Poeta* 25–26

A3 *Translate:*

fecerat exiguae iam sol altissimus umbras;  
 quae mora sit sociis, miratur Agenore natus  
 uestigatque uiros, tegumen derepta leoni  
 pellis erat, telum splendenti lancea ferro  
 et iaculum teloque animus praestantior omni.  
 ut nemus intravit letataque corpora uidit  
 uictoremque supra spatiosi corporis hostem  
 tristia sanguinea lambentem uulnera lingua,  
 aut ultor uestrae, fidissima pectora, mortis,  
 aut comes' inquit 'ero.' dixit dextraque molarem  
 sustulit et magnum magno conamine misit.  
 illius impulsu cum turribus ardua celsis  
 moenia mota forent, serpens sine uulnere mansit  
 loricaeque modo squamis defensus et atrae  
 duritia pellis ualidos cute reppulit ictus;  
 at non duritia iaculum quoque uicit eadem,  
 quod medio lentae spinae curuamine fixum  
 constitit et totum descendit in ilia ferrum.  
 ille dolore ferox caput in sua terga retorsit  
 uulneraque adspexit fixumque hostile momordit,  
 idque ubi ui multa partem labefecit in omnem,  
 uix tergo eripuit; ferrum tamen ossibus haesit.

OVID *Metamorphoses* III 50–72

[TURN OVER]

## **SECTION B**

**Answer one question**

## B1 *Discuss:*

dumque ea per terras fatali lege geruntur tutaque bis geniti sunt incunabula Bacchi, forte Iouem memorant diffusum nectare curas seposuisse grates uacuaque agitasse remissos cum Iunone iocos et 'maior uestra profecto est, quam quae contingit maribus' dixisse 'uoluptas.' illa negat, placuit quae sit sententia docti quaerere Tiresiae: uenus huic erat utraque nota. nam duo magnorum uiridi coeuntia silua corpora serpentum baculi uiolauerat ictu deque uiro factus – mirabile – femina septem egerat autumnos: octauo rursus eosdem uidit, et 'est uestrae si tanta potentia plagae' dixit, 'ut auctoris sortem in contraria mutet, nunc quoque uos feriam.' percussis anguibus isdem forma prior rediit, genetiuaque uenit imago. arbiter hic igitur sumptus de lite iocosa dicta Iouis firmat, grauius Saturnia iusto nec pro materia fertur doluisse suique iudicis aeterna damnauit lumina nocte: at pater omnipotens (neque enim licet irrita cuiquam facta dei fecisse deo) pro lumine adempto scire futura dedit poenamque leuauit honore.	320
	325
	330
	335

OVID *Metamorphoses* III 316–38

B2 *Discuss:*

'quis furor, anguigenae, proles Mauortia, uestras  
attonuit mentes?' Pentheus ait; 'aerane tantum  
aere repulsa ualent et adunco tibia cornu  
et magicae fraudes, ut, quos non bellicus ensis,  
non tuba terruerit, non strictis agmina telis,  
femineae uoces et mota insania uiuino  
obscenique greges et inania tympana uincant!  
uosne, senes, mirer, qui longa per aequora uecti  
hac Tyron, hac profugos posuistis sede penates,  
nunc sinitis sine Marte capi? uosne, acrior aetas,  
o iuuenes, propiorque meae, quos arma tenere,  
non thyrssos, galeaque tegi, non fronde decebat?  
este, precor, memores, qua sitis stirpe creati,  
illiusque animos, qui multos perdidit unus,  
sumite serpentis! pro fontibus ille lacuque  
interiit: at uos pro fama uincite uestra!  
ille dedit leto fortis: uos pellite molles  
et patrium retinete decus! si fata uetabant  
stare diu Thebas, utinam tormenta uirique  
moenia diruerent, ferrumque ignisque sonarent!  
essemus miseri sine crimine, sorsque querenda,  
non celanda foret, lacrimaeque pudore carerent;  
at nunc a puero Thebae capientur inermi,  
quem neque bella iuuant nec tela nec usus equorum,  
sed madidus murra crinis mollesque coronae  
purpuraque et pictis intextum uestibus aurum,  
quem quidem ego actutum (modo uos absistite) cogam  
adsumptumque patrem commentaque sacra fateri.'

535

545

555

OVID *Metamorphoses* III 531-58